

CORNELIUS CROCUS AMBSTERODAMVS.



Cornelius Ambsterodami apud Belgas natus, & in omni genere literarum optimè institutus fuit. Is cum linguarum & artium fundamenta feliciter iecisset, sese Coloniam contulit, & in ea Academia Græcæ & Latinæ linguæ, atq; in primis arti Poëticæ magna diligentia incubuit. Vnde etiam factum quod meritò doctissimis uiris adnumeratus, & Erasmo Roterodamo familiaris fuerit. Transtulit Cornelius aliquid ex Theodori Gazzæ Grammatica, atq; iuuentuti ediscenda propo-
suit. Extat quoq; eiusdem comoëdia sacra, cui titu-
lum Ioseph fecerat: præterea alia, quam Ecclesiam
inscripsit, tandem etiam farraginem sordidorū uer-
borum collegit, quæ unā cum Erasmi Paraphrasi in elegantias Vallæ postea
anno 1531 Friburgi fuit ædita. Cum hoc modo Cornelius bonis studijs iuan-
dis apud omnes magnam existimationem sibi comparasset, tandem or-
biit, atq; apud suos magno luctu honorifice terræ mandatus fuit.
Con. Geff. in Biblioth.